MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81149-3

AUTHOR:

EHLINGER, JOSEPH

TITLE:

DE APOLLINE ET ORACULO EIUS..

PLACE:

EMMERICH

DATE:

[1870]

Master Negative #

92-81149-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dissertation

Ehlinger, Carl Joseph
De Apolline et oraculo eius Delphico
Emmerich 1870

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 12X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-3-93
INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Schuljahr 1869—70.

Jahresbericht

über das

Königliche Gymnasium

zu

Emmerich,

erstattet

von dem Director

Dr. Johann Stauder.

Inhalt: 1) De Apolline et oraculo eius Delphico, scripsit Carolus Josephus Ehlinger.
2) Schulnachrichten von dem Director.

Emmerich.
J. L. Romen'sche Buchdruckerei.

De Apolline et oraculo eius Delphico

scripsit Carolus Josephus Ehlinger.

In religionibus veterum, inprimis Graecorum, pervestigandis studia doctorum fervent quam maxime, neque ea res iis solis, qui antiquis litteris operam dant, videtur gravis esse, sed quisquis varium et multiplicem generis humani cultum cognoscere cupit, philosophus, historicus, theologus, denique omnes qui a liberali eruditione non alieni sunt, his quaestionibus advertunt animos. Boeckh.

Versari quandam inter homines divinationem, qua ad deorum futura scientium vim natura mortalis posset accedere, vulgaris omnium antiquitatis gentium fuit opinio, neque ulla gens reperta est, quae non deos signis ominibusque de coelo missis res futuras significare ac quibusdam hominibus illorum interpretandi facultatem impertire sibi persuaderet. In Syria et Babylonia Chaldaei diuturna observatione siderum scientiam putabantur effecisse, ut praedicerent, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset. Eandem artem Aegyptii consecuti sunt. Phryges et Arabes avium significationibus plurimum obtemperaverunt. Etrusci hostiarum extorum cognitioni se maxime dediderunt. In Persis Magi, in Gallia Druidae augurati sunt. Graecis heroicae quidem aetatis aves et somnia gravissimam divinationis materiam praebuerunt; avibus nimirum ad coelum propius advolantibus voluntatem suam subicere, menti autem somnio solutae et liberae ventura clarius ostendere deos putarunt: quocirca aves nuntias, somnia voces deorum dixerunt[1]). Divinandi autem causa Graeci utebantur et vatibus et oraculis; atque mos fuit, ut vates ex avium involatu et cantu divinarent, plurimorum oraculorum sacerdotes e somniis; de Amphiarai quidem et Chalchantis et Trophonii oraculis id pro certo dici potest, de oraculis omnium antiquissimis, Dodonaeo et Pythico, cum probabilitate quadam statui. Nam Dodonaei sacerdotes etsi e quercubus sonan-

[1]) Cfr. Hom. Od. 0, 530; schol. ad Hom. Il. α, 63.

tibus Jovis Pelasgici augurari consueverant,[1]) etiam illotis pedibus humi excubuisse narrantur, et quidem eo consilio, ut a Jove somnia acciperent[2]). Alteri oraculo, quod eodem loco, quo postea Delphi, conditum erat, Tellus dea praefuit; quam quum somniorum genitricem et primam vatem fuisse poëtae tragici praedicent[3]), vix dubium est, in eo oraculo e somniantium visis sacerdotes conjecisse.

Quali, inquies, superstitione, quam inculta rudique religione imbuti fuerunt isti Pelasgi, qui quercum colerent, velutsi Juppiter ipse in ea insideret[4]), et Telluri hoc est terrae deae futura praevidendi et per somnia indicandi vim tribuerent. At consecuta est aetas humanior allata, ut fabula fert, a diis, qui natura humana induti[5]) violentis hominibus bestiisque pestiferis sublatis agriculturam et leges et mores mites docuerunt. E quibus Apollo, quum ad eius adventum tam vitae consuetudinisque civilis quam oraculi Pythici ingenii commutatio emendatioque referri soleat gravissima [6]), maximus atque illustrissimus factus est. Communis autem fabula est Apollinem Porphyrione anguipede et Ephialte Otoque gigantibus interemptis quum Panopeum venisset, cum Pythone, oraculi Telluris custode, cui natura draconis erat, quominus in antrum invaderet, eum prohibente conflixisse, tum monstro sagittis confosso oraculum occupavisse et, dum expiandae huius caedis causa apud Admetum et apud Hyperboreos abesset, Themidi deae administrandum reliquisse [7]). Quaerenti, quid ea fabula sibi velit, in illas regiones, quae Telluris oraculum circumjacebant, ab extero aliquo populo Apollinis cultum humaniorem et perpolitiorem delatum esse pluribus causis constat. Nam primum homines feri, gigantes, leones, dracones aliaque bestiarum genera pristinae aetatis feritatem significant. Tum e nomine Themidis, quoniam simul Telluris filia, simul Eunomiae et Irenes et Dices mater fuisse dicitur, status e pristino tempore exortus emendatior haud difficile colligitur. Deinde octo annorum servitute apud Admetum, Pheraeorum regem pietate insignem, et lustrationibus apud Hyperboreos et ad Tempe resecrandi causa peractis caedem expiandam esse et quodvis gravius crimen Apollo ipse monuit. Graecos non aliter sensisse, ex eo intelligi potest, quod ad illius facti memoriam renovandam instituerunt, ut nono quoque anno puer quidam dei persona suscepta et dracone interfecto tabernaque eius concremata pompam sacram, quam θεωρίαν vocabant, in Tempe duceret indeque lustratus et lauro ornatus rediret, et quod deum

---

[1]) Cfr. Hom. Od. ξ, 328; τ, 297.

[2]) Cfr. Eustath. ad Hom, Il, π, 234.

[3]) vid. Aesch. Eum. 2; Eurip. Iphig. Taur. 1263.

[4]) Völcker in ephemer. liter., Allgemeine Schulzeitung inscr., 1831 No 146 sic judicat: Die Eiche in Dodona ist Fetisch-Zeus selbst, der von den eichelessenden Pelasgern wegen seiner Nahrung gebenden Frucht angebetete Zeus.

[5]) Assentior iis viris doctis, qui diis vel a poetis vel a gentibus ipsis corpora et hominum vivendi rationem tributa esse, (Böttiger, Amalthea p. 6; Schoemann, Griech. Alterth. II, p. 167; Uschold, Vorhalle I. p. 254; Duncker, Gesch. d. Alterth. III, p. 319), non iis, qui homines sive natura sive virtute et factis excellentes ad deorum honores elatos esse putant (Ritzius, de Homero religionis auctore, in programm. Hersfeld. 1862).

[6]) Cfr. Curtius, Gesch. Griechenl. I, p. 48.

[7]) Fusius id Apollinis factum in Homerico hymno in Apollinem v. 300 sqq. et ab Ephoro ap. Strab. l. IX. c. 3 narratur. Variantur tamen fabulae; vid. O. Müller, Die Dorier I, p. 268.

e Tempe reversum Phoebum hoc est purum et sanctum [1]) appellaverunt atque Jovis, summi dei et juris legumque divinarum auctoris, interpretem fecerunt [2]). Quare illud Buttmanni de Hercule, et multis cum gigantibus certaminibus Apollinis socio fortissimo, praeclare dictum [3]) „Das Leben des Hercules ist ein schöner und uralter Mythus, darstellend das Ideal menschlicher Vollkommenheit — d. h. im Sinn des heroischen Zeitalters die höchste Körperkraft gepaart mit allen Vorzügen des Geistes und Gemüths, die jenes Zeitalters anerkennt — das Ideal, sage ich, dieser Vollkommenheit geweiht dem Heile der Menschheit oder vielleicht, in seiner ursprünglichen Gestalt, geweihet dem Heile der eigenen Nation" quis dubitet etiam in Apollinem transferre?

Sed antequam de Apolline Pythio plura disseram, quoniam per varios cultus gradus variasque hominum morum mutationes ad tantam, quam dixi, dignitatem pervenit, quae prima ac propria dei fuerit natura et qua ratione eius cultus genera, id quod ab aliis, qui de Apolline scripserunt, praetermissum est, ab aliis perverse factum esse videtur, inter se sint conjungenda, illustrabo.

De Apolline inter eos, qui e vocis etymologia naturam repetiverunt, mira dissensio et discrepantia est. Veteres philosophi, Apollinem ad solem referentes, hac multiplici interpretatione utuntur. Chrysippus Apollinem nomen suum habere scribit [4]), ὅτι μόνος ἐστὶ καὶ οὐ πολλοί, Cleanthes, ὡς ἀπ' ἄλλων καὶ ἄλλων τὰς ἀνατολὰς ποιουμένου (quia ab aliis atque aliis locorum declinationibus faciat ortus), Speusippus, ὡς ἀπὸ πολλῶν οὐσιῶν πυρὸς αὐτοῦ συνεστῶτος (quia e multis ignibus eius vis constet); Cornificius et alii Apollinis nomen a vocabulo ἀναπολεῖν deducendum esse putant, quod inter utrumque mundi polum vertatur, alii ab ἀπολλύναι, quod exanimet et perimat animantes, quum pestem intemperie caloris immittat, alii denique, quod temperato solis calore morbos fuget, ab ἀπελαύνειν vel ab ἀπέλλειν. Plato [5]), prout artium genera et munera, quibus Apollo fungebatur, postulant, vocabula ἀπολούω, ἁπλοῦς, ἀεὶ βάλλειν, ὁμοπολῶν jocoso quodam modo proponit. Recentioris temporis viri docti ceteris etymologiis neglectis in contrarias partes disputant, utrum Apollinis nomen ab ἀπολλύναι [6]), an ab ἀπέλλειν [7]), an a Semitica voce Baal sive Bel [8]) sit derivandum. Etymologia igitur vocis nihil certi habet. Neque tamen ex muneribus et officiis Apollini tributis, quum quibusdam tam inter se contraria viderentur, ut quatuor vel quinque Apollines distinxerint, eius natura certo potest concludi. Itaque nihil reliquum est, nisi ut omnium primum et Apollinis cognomina, quippe quae, ut Ciceronis verbis utar, imagine aliqua naturam exprimant, et cultum per Graeciam et Graeciae finitimas terras insulasque antiquissimis temporibus maxime propagatum pervestigemus. Innumera quidem etiam

---

[1]) Cf. Plut. de defect orac. c. 21; Cic. de nat. deor. IV., 34; Suidas: φοῖβον τὸ καθαρὸν καὶ τὸ ἁγνόν.

[2]) Διὸς προφήτης δ' ἐστί Λοξίας: Aesch. Eum. 19.

[3]) Mythologus p. 249.

[4]) Cfr. Macrob. saturn. I, 17.

[5]) Cratyl. p. 404 E.

[6]) Heffter, Die Religion der Griechen und Römer p. 306.

[7]) Welcker, Griechische Götterlehre I, p. 461.

[8]) Buttmann, Mythol. I, p. 168.

cog nomina. At si verum est, quod Plato et Herodotus tradiderunt et quod inter omnes fere, qui antiquitati perscrutandae operam dederunt, constat [1]), primos Graecorum deos e quibusdam eminentibus naturae viribus exortos esse, ea cognomina inprimis eligamus, quae ad originem Apollinis e rerum natura ductam proxime accedere videntur. Atque omnia haec: ἀγρεύς, ὑλάτης, ναπαῖος, ἀγυιεύς, νόμιος, ἐπιμήλιος, καρνεῖος [2]), σαυροκτόνος, ἰποκτόνος, σμινθεύς [3]), λυκοκτόνος, λυκεῖος [4]) Apollinem silvas, saltus, vias, pascua greges tuentem et bestias pestiferas perdentem deum significant; unde patet Apollinem deum agrestem fuisse eiusque officium agros et greges tuendi. Primum autem id eius officium fuisse et ex fabula, qua proditum est eum ab Hyperboreis, apud quos sedes gratissimas ac vetustissimas habebat [4]), cum spicis maturis profectum esse [5]), apparere, et ex priscorum Graecorum vivendi ratione concludi posse mihi videtur. Nam quum agrorum cultura illis temporibus omnium rerum gravissima esset in eaque quisque, sive humili loco sive summo natus erat, maximam operam atque industriam poneret, fieri non potuit, quin in numero primorum deorum potissimum eos deos reponerent, qui rebus agrestibus providerent. Haec causa fuit, quod et Pan et Dionysus et Mercurius dii agrestes habebantur, haec causa cultus Apollinis agrestis dei latissime patentis. Hyperborei enim frugum primitias stramento triticeo obvolutas Delum [6]), Metapontini et Apolloniatae et Myrinaei aristas aureas pro decima messis parte Delphos mittebant, [7]) in insula Delo festis diebus aristae et malvae in Apollinis honorem ferebantur et placentae e tritico et hordeo coctae arae eius imponebantur [8]), Thebani, Apollini νομίῳ bovem mactabant, Naxii Apollini ποιμνίῳ, Camirenses Apollini ἐπιμηλίῳ dedicatas aras habebant, Athenienses et Thargelia et Pyanepsia agebant, quibus diebus festis fabas aliaque legumina deo sacrificabant, et ramos olivae frugibus, quas auctumus praebuerat, onustos per urbem circumlatos eius templi portae affigebant [9]), Ambracienses denique et Tegeatae et Acharnani Apollinis effigiem in coni vel trianguli figuram redactam in viis constituebant. Etiam poëtae Apollinem pastorem celebrant; arvis et saltibus eum gavisum esse et pascua bubus et capris complevisse canunt Sophocles et Callimachus [10]), Admeti

---

[1]) Cfr. Welcker l. l. p. 215; Buttmann l. l. p. 6; Max Müller, Wissenschaft der Sprache I, p. 10.

[2]) Hoc vocabulum, servatum in καρνοστάσιον h. e. ovile, ad pecudes maxime referendum esse Welckerus (I. 63) et Gerhardius (Mytholog. p. 193) probaverunt; significavit tamen etiam deum belligerum.

[3]) Apollimen cognomen σμινθεύς non ab urbe Sminthο, sed a muribus rusticis, qui dialecti forma apud Trojanos et Cretenses σμίνθοι nominabantur, accepisse, satis constat; Apollini enim Sminthεο non solum Sminthi, sed etiam Tenedi et in multis Lyciae et Cretae urbibus templa aedificata erant.

[4]) Soph. ap. Strab. VII, p. 295: Φοίβου παλαιὸς κῆπος.

[5]) Cognomen λυκεῖος Heynius (ad Hom. Il. δ, 101) et Dunckerus (l. l. III, p. 15) et alii viri docti non ad lupum (λύκος), sed ad lucem (λύκη) revocant idque Apollinem e diluculo natum significare docent.

[6]) Herod. IV, 33 sq.

[7]) O. Müller, l. l. I, p. 264.

[8]) Paus. I, 31, 2.

[9]) Plut. Thes. 21, 22.

[10]) Soph. Oed. Tyr. 1103; Callim. hymn. in Apoll. 47, sqq.

et Laomedontis greges pascendo eum auxisse et Eumeli equas robore et celeritate insignes fecisse Homerus et Euripides [1]).

Quodsi quaerimus, ad quamnam vim naturalem Apollo referendus sit, manifesta solis vestigia reperimus. Ex omnibus enim naturae viribus nulla agris et saltibus majorem affert utilitatem quam sol; luce eius et calore semina e terra eliciuntur et plantae viriditate floribusque ornantur, ac fruges bene proveniunt et maturescunt; sole oriente multae bestiae segetibus noxiae fugantur, sole vehementer splendente mures peste afficiuntur et pereunt. Quid igitur? Si Apollinis cultus ex natura quadam vi originem traxit, vix dubitandum mihi videtur, Apollinem solarem deum esse habitum. Etiam plurimi et antiquitatis et recentioris temporis viri docti, alii aliis causis adducti, Apollinem ab initio solem significasse docent [2]). Itaque non esset, quod de prima Apollinis natura plura disputarem, nisi nonnulli opponerent doctrinam illam ab Orphicis, quos vocant, inventam et conformatam esse, et priscos Graecos et Homerum prorsus ignorare solis deum [3]). At epitheton ἑκηβόλος, verbis ἀκτῖσι βάλλειν ἀρούρας ab eodem Homero quasi explicatum [4]), nonne ad solis radios, qui loquendi genere usitatissimo sagittae dici solebant [5]), maxime quadrat? Et cognomen illud praeclarissimum Φοῖβος, quod nominis proprii vim accepit, nonne praestat a vocabulo φῶς sive φάος derivare quam a vocubulo ἥβη [6])? Sed ut ab ἥβη id derivari magis placeat, nonne aeque ac vocabulum ἀκερσικόμης Graecorum opinione ad viridem senioque carentem solis naturam potissimum spectat? Χρυσάορον autem Homerus Apollinem nullo alio consilio appellare mihi videtur nisi ut solem auri colore fulgentem indicet. Cognomen λυκηγενής utrum deum significet e dilicule genitum an in Lycia natum, adhuc incertum est: veteres fere omnes hanc interpretationen sustentant, illam maxima pars recentiorum; velim recte judicaverint nostri, tum tolleretur omnis de Apollinis prima natura dubitatio, injuria vero aliquis contra diceret Apollinem, quem Pandarus invocat, Lyciorum deum esse, non Graecorum; nam Homerus ex ingenio Graecorum illum sibi finxit; quare si apud Lycios Apollo solis deus fuit, fuit etiam apud Graecos [7]). Sed utcunque res se habet, exstant apud Homerum etiam alia vestigia, quibus Apollinem deum solis fuisse confirmatur. Nam ut illud omittam, quod nonnulli et verbi λήθειν significatione et Homeri explanatoris testimonio usi Apollinem Latonae filium velut e tenebris progenitum ab Homero dici putant, pesti-

---

[1]) Il. φ, 448; β, 766; Eurip. Alc. 570.

[2]) F. Hermann, Culturgesch. der Griech. u. Röm., herausg. von Schmidt p. 46; Gottesdienstl. Alterthümer III, p. 19; Buttmann, Mythol. I, p. 3; Welcker l. l. II, p. 475; Fresenius, de Apoll. numine solari p. 9; Preller, Mythol. I, p. 151; Duncker l. l. III. p. 15. — Creuzer, Symbol. u. Mythol. II, 533; Hoeck, Creta II, p. 262.

[3]) Voss, Antisymbolik p. 172; Döllinger, Heidenthum und Judenthum p. 125; Heffter, Mythol. der Griech. und Röm. p. 362, 367; Gottschick, Apollinis cultus unde ducendus p. 20.

[4]) Il. η, 421; Od. ε, 479.

[5]) Clarissime ap. Eurip. Herc. fur. 1089: δέδορχ' ἅπερ με δεῖ αἰθέρα τε καὶ γῆν τόξα θ' Ἡλίου τάδε.

[6]) Kanne, Mythol. der Griech. p. 103; Haupt, de Apoll. antiquiss. cultu, progr. Schwedt. 1830 p. 7.

[7]) Dunckerus (l. l. II, p. 475) eandem sententiam fert de Lydorum Apolline; sic enim judicat: in den Augen der Lyder war der Lichtgott Apollo der Griechen von dem Sonnengott, den sie verehrten, nicht verschieden.

lentia Achaeis et nex Niobes liberis ab Apolline illata cuinam potentiae natura nisi solis intemperiei assignanda est? Quo tandem jure Apollo campum nube inducit et impedit, ne Hectoris mortui corpus solis aestu torreatur? non alio sane, quam quod rector et moderator solis ab Homero putatur. Quid porro, si Apollinem cum Helio contulerimus? Helius ab Ulixis sociis boum raptarum poenas repetit; est igitur boum tutor. Helio in campo quodam ad Taenarum montem [1]) perinde atque Apollini in urbe Zelea et apud Achaeos [2]) oves mactari solebant; habebatur igitur deus gregum. Itaque quum cultus utriusque dei par esset, utrumque pari natura fuisse necesse est. Inde etiam evenisse videtur, ut Argis Apollo una cum Helio coleretur et Athenis et Mileti festis diebus, quae Thargelia vocabantur, Apollini una cum Helio et Horis et Gratiis sacra offerrentur, et ab Rhodiis utriusque statua radiis et hedera redimiretur. Accedit quod, quibus virtutibus Homerus deos adumbravit, easdem posterior aetas probavit; quocirca si Aeschylus, in multis rebus Homeri imitator, in fabulis iisque ad heroica tempora pertinentibus Apollinem solem significare declarat [3]), Homerum idem sensisse licebit colligere. Neque negligenda videtur magna, ne dicam mira quaedam Apollinis similitudo etiam cum Pane, Mercurio, Dionyso, Hercule, Jove. Qui dii iisdem cognominibus honorari, eodemque cultu affici solebant. Pan enim ἀγρεύς et λυκεῖος, Hercules πορνόπιος, ἰποκτόνος, ὅριος, Dionysus ἔνδενδρος. Juppiter ἀπόμυιος et ἔνδενδρος, omnes autem νόμιοι et ἐπιμήλιοι appellabantur, Pan et Apollo in eodem templo colebantur, Pani Sicyone ara exstructa fuit juxta aram Helii. [4]) Quid? si verum est, quod nonnulli viri docti arbitrantur, [5]) istos deos a Graecis ad lucem et solem relatos esse, nonne hinc sequitur, ut etiam Apollo numen solare fuerit? Denique ab orientis populis solis deo eaedem fere facultates et virtutes tributae sunt, quae a Graecis Apollini; gregum et agrorum ubertas a Persis, muscarum nex a Philistis in eum collata est [6]). Omnibus his rebus collatis et perpensis quis est, quin intelligat solis dei cultum jam apud vetustissimos Graecos viguisse et praeter Helium maxime Apollinem numen solare esse existimatum?

Ad confirmandam meam de Apollinis natura sententiam quamvis plurimum valeret, si Apollinis cultum ex oriente, ubi solis deus in maximo honore erat, in Graeciam traductum esse constaret, tamen, si quis, quae patria Apollinis fuerit, quaerat, tantum abest, ut iis assentiar, qui Asiam aut Aegyptum eam fuisse opinantur, [7]) ut, quum res minime satis sit explorata, timeam, ne hi frustra laboraverint. Nam quod e nomine Baal sive Bel Syrico articulo ha apposito et Cretense nomen ἀβέλιος et Graecum Ἀπόλλων effectum esse dicunt, maxime dubium est, Graecos articulo Syrico usos esse. Cum

---

[1]) Cfr. hymn. in Apoll. 234.
[2]) Hom. Il. ε, 104; δ, 103; α, 64.
[3]) Cfr. Suppl. 210; Sept. 835.
[4]) Paus. II, 11, 2.
[5]) Lobeck, Aglaoph. I, p. 460, 498; Hartung, Mythol. u. Relig. der Griech.; Uschold, Vorhalle; Welcker, l. l. I, p. 455.
[6]) Cfr. Duncker, l. l. III, p. 253.
[7]) Buttmann, l. l. I, p. 168; Hartung, l. l. II, p. 70; Creuzer, l. l. II, p. 559; G. Hermann, opusc. VII, p. 284.

Persis autem et Indis, postquam populi e communi in Asia ulteriori sede alii alio discesserunt, priscis Graecis non tantum commercium fuit, ut deos suos inde accipere possent, quamquam eos ex illa sede generales quasdam et communes deorum notiones secum duxisse non est infitiandum. Tum fabula, qua proditum est Danaum, Apollinis cultus Argis conditorem, ex Aegypto profectum esse, sine dubio vel a sacerdotibus Aegyptiis, qui omnes deos in Aegypto natos fuisse docebant, ficta est vel a logographis et philosophis Graecis, qui utriusque populi religiones inter se accommodare studebant. Etenim et Homerus et Hesiodus, quos fabulas de viris clarissimis traditas juvat narrare, illam fabulam ignorantes Danai non aliter mentionem faciunt ac si Graecus indigena esset. [1]) Immo vero et e Graecis fabulis de Ius, cuius progenies Danaus fuisse perhibetur, migratione in Aegyptum et e fabulis Aegyptiis de natante insula Chemmide et de Latonae partu Graecos ad barbarorum religionem exornandam aliquantum adjuvisse cognosci potest.

Quodsi ex his, quae dixi, Apollinem Graecorum fuisse satis apparet, restat, ut exponam, cuius Graecae gentis deus proprius et quasi gentilis fuerit Apollo. Sed quoniam O. Müllerus in libro „Die Dorier" inscripto Apollinis cultum apud Dores primum locum semper tenuisse et ex Hestiaeotide, ubi antiquissima Dorum sedes erat, a Tectapho, Dori filio, in Cretam, hinc a Telchinibus Rhodum, a Sarpedone in Lyciam, e Lycia ab Olene in insulam Delum traductum et propagatum esse copiose et acute explanavit, nihil adderem, nisi Hoeckius [2]) fabula de Tectapho, quam Andron, rerum gestarum scriptor clarissimus, commemorat, refutata, Tectaphum eiusque socios et navigationis imperitos et minoris auctoritatis fuisse diceret, quam qui cultum Apollinis per Cretam dilatare possent, et Dores ante expeditionem in Peloponnesum factam in Cretam venisse atque omnino Apollinis cultus primordia apud Dores inveniri negaret. At argumenta minus probabilia Hoeckius proponere mihi videtur. Quid enim? Quum satis constet, Dores ad Peneum flumen et usque ad eius ostia habitavisse, [3]) etiam navibus eos usos esse et maria tentavisse verisimillimum est. Tum quidni Hoeckius idem concedit Doribus, quod Magnetibus, quos quamvis pauci fuerint et ignobiles, ad Apollinis cultum per Cretam propagandum multum contulisse ipse demonstrat? [4]) Maxime vero Hoeckii opinioni repugnat versus ille Odysseae, [5]) quo jam Ulixis temporibus Dores aliquam partem Cretae incoluisse traditur; quem quum Homeri esse non audeat negare, verborum sententiam callide interpretando depravare frustra conatur. Nam exstitit etiam apud Cretenses [6]) fabula Apollinem profugum Carmanoris sacerdotis Cretensis hospitio receptum ab eoque de caede in Pythonem facta purgatum esse, quam fabulam Cretenses certe non finxissent, si Apollinis Dorici cultum in insula sua vetustissimum esse iis non fuisset persuasum. Neque vestigia desunt, quibus Apollinem inde ab antiquissimis temporibus Dorum quasi gentilem deum fuisse et in illis regionibus, quas Dores

---

[1]) Cfr. Voss, Antisymb. II, p. 142; Mythol. Br. V, p. 63.
[2]) in libro „Kreta" inscr. II, p. 28.
[3]) Cfr. Curtius, Gesch. Griechenl. I, 48, 89.
[4]) l. l. II, p. 411.
[5]) τ, 177.
[6]) Cfr. Paus. II, 30, 3.

incolebant, cultum esse patet An propterea, quod in insula Delo natus esse traditur, putas cultum eius inde originem duxisse? At etiam in Lycia natus dicitur, at apud Atticos πατρῷος est appellatus. Neque vero mira haec res est. Nam ubi aliquis deus venerationem nactus erat eximiam, inde etiam oriundus putabatur. Sic Jovem Cretenses in Creta, Arcades in Arcadia natum dixerunt et Dionysum Naxii et Thessalii et Boeotii et ipsi Cretenses suum vindicaverunt. Atque Apollinem Delum advectum esse commemorat Herodotus, de cultu eius autem apud Athenienses Schoemaunus, vir doctissimus rerumque Graecarum peritissimus, haec fere judicat:[1] Apollo gehört gewiß nicht zu den ursprünglichen Landesgöttern von Athen; sein Cult war wohl erst eingeführt, wo eine hellenische Volksschaar vom südlichen Thessalien aus sich nach Attika angesiedelt und mit Pelasgischen Altjonern vermischt hatte. Maioris momenti est, quod Dorus, Doricae gentis auctor et princeps, Apollinis filius nominatur, et Apollo Deucalionem ex aquaram eluvionibus liberavisse[2]) et in Pelii, qui mons in Dorum finibus erat, silvestribus regionibus cum Musis antiquitus commercium inisse fertur; in via autem, quae ex Thessalia super montis verticem in Macedoniam ducebat, antiquitus stabat templum, Πύθιον appellatum, et in valle, quae Tempe vocabatur, prope Peneum flumen ara Apollinis magna vetustate erat, unde Dores ipsi deo cognomen Τεμπείταν indiderunt. Litteris de antiquissima Dorum religione tam exiguis quid opus est argumentis maioribus? Sed accedit etiam hoc haud parvum argumentum, quod Dores Apollinis cultus propagandi studiosissimos semper se praestiterunt; quod num facturi fuerint, si Apollinem principem suum ac gentilem deum non existimavissent, magnopere dubito.

Jam quum Apollo Doribus vindicandus sit, hinc sequitur, ut Hyperborei, apud quos illum gratissimam atque antiquissimam sedem habuisse supra dixeram, nisi fabulosi sunt nec secus Apollini adamati ac Neptuno Aethiopes, aut Doribus quadam affinitate conjuncti fuerint nec procul ab iis habitaverint, aut, ut Kieselius[3]) mavult, eas Thessaliae regiones tenuerint, quas antiquissimis temporibus Dores ipsi; porro sequitur, ut Apollo primum Dorico nomine Ἀπέλλων sit

---

¹) Griech. Alterth. II, p. 399.

²) Cfr. Hartung l. l. p. 216.

³) In dissert. inaug. de hymno in Apoll. (Berol. 1835) p. 98. — Nec spernenda Gottschickii (l. l. p. 8) haec opinio: id videtnr constare, quod quidem et mihi est persuasum, Hyperboreos non revera fuisse populum, nec fortasse aliam gentem hoc nomine a Graecis ob imperfectam orbis terrarum cognitionem appellatam fuisse; sed potius a poëtis populum esse fictum, qui sempiterna beatitudine et hilaritate fruens extremas septentrionis regiones incoleret atque Apollinem et sacrificiis et pompis et cultu divino persequeretur. Supra boream autem illi habitasse traduntur, ne ventis frigidis vexarentur: quae quidem sententia non differt ab ea, qua Homerus Olympi fastigium utpote supra nubes elatum semper aëre sereno esse circumfusum nec unquam imbre vel nive opertum putat. At boream non ab extremis septentrionibus proficisci, sed a montibus Thraciae Macedoniaeque credebant veteres Graeci, priusquam has terras satis cognitas haberent. — Ab iis recentioris temporis viris doctis, qui in historicorum populorum numerum Hyperboreos receperunt, diversissimae opiniones propositae sunt: Kannius (Mythol. I, p. 118.) censet eos fuisse Tauros, Gladischius (progr. Krotosch. 1866) Sinenses (Schinesen), Kannegiesser (Grundriß der Alterthumswissenschaft) Scythas; Rautschickius (Encyclop. von Ersch und Gruber) in ea terra, quae hodie Borussia vocatur, eos habitivisse probare studet.

appellatus, quod nomen, quum vim et formam participii habeat, principio solis dei cognomen fuit et averruncantem eundemque deum significat, quem cognomina postea addita ἑκάεργος (h. l. e. procul depellens, ab ἑκάς et εἴργω) et ἀλεξίκακος. Id nomen in usu erat apud Aeoles, qui Doribus finitimi erant, et apud Amyclaeos et apud veteres Latinos, eo nomine Ἀπέλλαι urbs in Lycia dicta est[1]), ad id nomen suspicor equidem etiam Creticum illud ἀβέλιος posse aptissime conferri.

Verum quidem haec hactenus; de prima ac propria natura deque patria et nomine Apollinis quantum prae proposito licuit satis disputavisse mihi videor. Nihil praetermisi, quin, quo magis summa sententia emineret, argumenta astringerem. In religionibus Graecorum antiquissimis quum multa obscura, multa inconstantia et per aetatum vicissitudines alternantia reperiantur, non omnia sic ad liquidum perduci posse, ut nihil dubitationis relinquatur, me minime fugit. Sed in rebus, quae ad Apollinem pertinent, inquirendis id me perfecisse spero, ut maxime probabilia invenerim. Fortasse etiam facultatibus et muneribus, quae Apollini tributa sunt, qualia fuerint et quomodo ad eundem deum referri possint, expositis, erit, quod sententiam meam confirmet atque illustret.

Jam primum Apollinis munus fuisse res agrestes tuendi supra me puto satis ostendisse. Sed tantum abfuit, ut potestas eius hac una re contineretur, ut ad omnes res humanas paulatim redundaret. Itaque morbi et pestis medicus factus est et ἐπικούριος, ἀλεξίκακος, ἀκέσιος, ἀκέστωρ, ἀλεξίμορος,[2]) apud Delios et apud Milesios praeterea tanquam bonae valetudinis dator οὔλιος appellatus[3]); cognomine δελφίνιος nautarum tutor fuit et cognomine κουροτρόφος juvenum patronus[4]); etiam victoriae auctor habitus et παιάν[5]) nominatus est. Quid enumerem rerum multitudinem, in quibus homines opem ab eo petere potuerunt? Potius exempla depromam e poëtis, quippe qui homines in omnibus vitae conditionibus versantes depinxerint. Atque apud Aeschylum legimus, Apollinem implorari, ut Graecis secundos ventos det[6]), hostium exercitum depellat[7]), animi sollicitudinem solvat[8]); apud Sophoclem, ut sagittis calamitatem avertat[9]), pestis finem faciat[10]), Theseum a Creontis fallaciis defendat[11]), Ajaci mentem reddat[12]), Argivorum petulantes linguas coërceat[13]), felicem securamque vitam efficiat[14]), in impietate ulciscenda praesto sit[15]); apud Euripidem, ut a malis liberet[16]) et rebus exigendis faveat[17]); apud Pindarum, ut graves morbos leniat[18]) et hominibus bello pressis auxilietur[19]). Iliadis poëta, ubi viros armis inter se contendentes adumbrat, bellicam eius virtutem maxime celebrat: Apollo ipse Trojanis auxilium fert[20]) eosque cohortatur, ut Achaeis

---

¹) Cfr. Welcker l. l. I, p. 462.

²) Cfr. Paus. I, 3, 3; VIII, 30, 2; VI, 24, 5; Thuc. II, 47; Eurip. Androm. 900.

³) Strab. II, p. 635.

⁴) Eustath. ad Hom. Od. τ. 86 hoc addit: εἰ δὲ καὶ ἄλλους πολλοὺς βέλεσι κατακτείνει, ἀλλ᾽ ἔχει καὶ τὸ κουροτροφεῖν ὡς ἥλιος.

⁵) Cognomen παιάν propterea ei inditum est, quod, quum Pythonem sagittis peteret, ipse paeanem citavisse fertur. (Cfr. G. Hermann l. l. p. 314).

⁶) Agam. 147. ⁷) Sept. 131. ⁸) Agam. 99. ⁹) Oed. T. 204. ¹⁰) Oed. T. 150. ¹¹) Oed. Col. 109. ¹²) Aj. 185. ¹³) Oed. T. 127. ¹⁴) El. 631. ¹⁵) El. 1377. ¹⁶) Androm. 900. ¹⁷) Jon 124. ¹⁸) Pyth. V, 59. ¹⁹) Pyth. X, 37. ²⁰) Il. ο, 327; π, 725, 845; φ, 514.

resistant [1]), Hectorem Jovis aegide protegit, ut ab hoste sit tutus [2]), Patroclum Troiae moenia ingressum reicit [3]); Pandarus eum precatur, ut telis suis faveat, Achaei pugilationis certamen inituri, ut sibi opituletur [4]).

Bellica Apollinis virtus a Doribus, quum bellipotentissimi essent et in bellum multum studii impenderent, omnium maxima putabatur. Quare et omnem rem militarem bellique fortunam eius tutelae commiserunt et sagittas, quibus ipsi plurimum valebant, mittentem eum fecerunt et in proelium euntes victoriaque de hostibus reportata e proelio redeuntes paeanem citaverunt. [5]) In eius honorem quum in pristinis sedibus ad Peneum flumen ludos egerunt, tum post Peloponnesi occupationem, quam singulari eius opera putaverunt se confecisse, Gymnopaedias et Carnea instituerunt, qui ludi militares toti Doricae stirpi erant communes..

Facultates, quas dixi, omnes e sagittandi Apollinis arte deduci posse existimo; hac enim simul ab agris feras, simul ab hominibus mala et hostilia quaelibet propellit; quoniam vero hostes et hostilia propellendo eos tuetur, quibus favet, ipsae sagittae auxiliares nominantur. [6]) Suis igitur eum propitium deum esse, hostibus pestilentem intelligitur; hos enim morbis et pestilentia vexat, illos a morbis prohibet et leni more afficit. Propitium autem deum ab initio eum fuisse et nomen Ἀπέλλων et officia eius, quae modo dixi, aperte indicant. An propterea, quod nimia intemperie interdum nocet et Achaeis infestum se praebet, quamquam eorum deus est, exitialis Apollinis vis salutari eius vi potior habenda est? Quid? nonne ipse Juppiter, etsi summus Graecorum deus hominumque pater appellatur, iratus maximis imbribus immissis eorum operibus damnum infert? Achaeos autem pro injuria ac contumelia Chrysae, sacerdoti pio, illata gravissimis poenis afficere nonne Apollinis fuit? Itaque quum Apollo numen tutelare principio haberetur, Callimachus [7]) jure eum bonorum et agriculturae auctorem nominat et videntur ii errare, qui ab ἀπόλλυμι Apollinis nomen deducentes vim deperdendi et ulciscendi primam ac praecipuam fuisse censent. [8])

Fuit autem praeterea et veterum Graecorum et multorum barbarorum communis haec opinio, penes deos solares omnium rerum humanarum summam esse potestatem. Quo factum est, ut Hercules a naufragis imploraretur, [9]) et Dionyso, Jovi, Helio, Pani, quum a morbis et pestibus aliisque calamitatibus liberare putarentur, cognomina ἐλευθέριος et λυτήριος darentur, et Mercurius et Hercules certaminibus et sortibus pugnantium administrandis et gymnasiis praeficerentur, et Juppiter, quod effecit, ut hostes terga verterent, τρόπαιος vocaretur [10]). Pariter apud Indos solis deus invocabatur, ut calamitates et hostes arceret, [11]) et apud Phoenices, ut nautas et viatores tueretur. [12])

Apollo porro Musarum praeses et citharoedorum et vatum magister et ipse citharoedus et vates

---

[1]) Il. δ, 508. [2]) Il. ο, 308. [3]) Il. π, 703. [4]) Il. ψ, 660.

[5]) Mox in usum venit, ut etiam post labores et sollicitudines et cuiusvis generis mala exhausta, denique post coenam et diebus festibus paean caneretur.

[6]) Cfr. Soph. Oed. Tyr. 206. [7]) hymn. in Apoll. 33. [8]) Heffter, l. l., Gotschick, l. l.

[9]) Cfr. Lobeck, Aglaoph. p. 1172. [10]) Cfr. Welcker, l. l. II, p. 64.; Paus. VII, 31, 4; III, 12, 7.

[11]) Cfr. Duncker, l. l. III, p. 20. [12]) Duncker, IV, p. 293.

fuit. Quid causae fuerit, cur Apollini cum Musis consuetuedo intercesserit, inquirendum est. Musae primum nympharum more silvas et arva pervagantes et in specubus et ad fontes habitantes divinaque natura et suavibus vocibus praeditae virgines habebantur, tum inspirandi facultatem acceperunt, postremum omnibus artibus, quae ad humanitatem pertinere proprie dicuntur, ingenuis et liberalibus praefuerunt. Cuius rei haec origo fuisse videtur: aurae per arborum folia leniter flantes, fontes in specubus resonantes, rivi per valles defluentes sonitum auribus suavem edunt et membra refrigerant et animum reficiunt et mentem inspirant; quid mirum, si Graeci alacri et fervido et paene fanatico ingenio praediti numina quaedam divina circa fontes rivosque versari sibi finxerunt, quae et ipsa canerent et homines ad canendum incitarent divinoque quodam spiritu afficerent? [1]) Quum vero numina illa montana, quibus nomen datum est Musis, virginea infirmaque natura essent, iis firmiore deorum praesidio ad bestias et quaevis hostilia arcenda et propellenda opus fuit. Itaque accidit, ut, qui dii agriculturae et saltibus ceterisque rebus agrestibus providebant, Apollo, Pan, Mercurius, Hercules, Dionysus, iidem tutores etiam Musarum evaderent et nomine Μουσαγέται earum choros ducerent et easdem artes, quarum Musae gnarae erant, inprimis artes fidibus canendi et homines inspirandi nossent et docerent atque una cum Musis colerentur [2]). Et Pan quidem inter Musas Cyllenes et Cithaeronis, Dionysus inter Musas Parnassi, Apollo inter Musas Pelii maxime versatus esse naratur, Mercurio autem et Apollini et Musis Megalopoli commune templum fuit [3]).

Apollinem citharoedum fuisse e fabulis cognosci potest. Etenim lyra et aurea mitra ornatus cygnisque vectus Delphos advenisse et brevi post occupatum oraculum Cretenses ad Crissam e navibus egressos cum cithara Delphos prosecutus esse et in aedificanda arce Megarea Alcathoum regem cithara in lapide deposita adjuvisse, quin etiam citharam invenisse dicitur. Neque Homerus Apollinis artem citharoedicam ignorat; deos enim, dum in Olympo epulantur, cithara delectantem eum facit [4]) et citharoedos eius ministros, ipsum citharoedorum magistrum appellat [5]). Et pulchre Hesiodus:

ἐκ γὰρ Μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθόνα καὶ κιθαρισταί. [6])

Non praetermittenda est subtilis et sollers Deliorum et Pataranorum agrestem deum cum citharoedo etiam in cultu conjungendi ratio. Delii aristas et placentas e tritico et hordeo coctas Apollinis arae imposuerunt et simulacrum eius lyra ornaverunt, Patarani libis in sagittae et arcus et lyrae formam redactis sacra fecerunt.

---

[1]) E. Curtius (in libello nuperrime edito et inscripto „Die Kunstmuseen, ihre Geschichte und ihre Bedeutung, mit besonderer Rücksicht auf das königliche Museum in Berlin.") eleganter sic fere dicit: Der frische Wasserstrahl, der aus der von der Sonne erhitzten Felsplatte hervorbrach, war dem Hellenen die edelste Gottesgabe, und die kühle Grotte, worin der Brunen sein Becken fand, gestaltete sich diesem Glauben gegenüber von selbst zum Heiligthum. Wer der geistigen Erholung bedurfte, der suchte sie am plätschernden Bach, am rieselnden Bergabhang auf. So erhielten die Quellen den Ruhm begeisternder Kraft, so wurden die Nymphen zu Musen und einzelne Bergquellen zur hervorragenden Stätte des Musendienstes.

[2]) Cfr. Diod. I, 18; Hes. scut. Herc. 282; Soph. Aj. 694.

[3]) Cfr. Eurip. Bacch. 952; Soph. Antig. 1122; Paus. VIII, 32, 1.

[4]) Il. α. 604. [5]) Od. θ 488. [6]) theog. 95.

Cum arte fidibus canendi ars poëtica et ars vaticinandi Graecorum quidem opinione arcte inter se cohaerent: continentur enim afflatu et furore quodam divino vel ab Apolline vel a Musis proficiscente; poëtae praeterea carmina, quibus deorum et virorum clarissimorum virtutes celebrabant, ad fides in publico recitare soliti sunt. Itaque Graeci Musas et Apollinem etiam arti poëticae praefecerunt. Furore autem existimaverunt mentem sic moveri posse atque inflammari, ut rerum futurarum provida fieret. Probe Euripides[1]):

τὸ βακχεύσιμον καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει.

Ac Musis quidquid in terra evenit et eventurum est intelligendi et praenoscendi obvenisse facultatem Hesiodus[2]) confirmat; Musarum esse praedicat

εἰρεῦσαι τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Jam Apollini diisque huic natura paribus, qui non solum Musarum praesides sed etiam solaria numina erant, nonne eandem obvenisse facultatem necesse est? Sane quidem. Pan Cererem in specum quendam Arcadiae se abditam Jovi denunciat[3]) et Apollini vaticinandi artem docet[4]); Helius omnium rerum scientia[5]), Mercurius mente sagaci et providente praeditus est[6]); de Jove autem hoc Hesiodi praeclare dictum exstat:

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας[7]).

Apollo denique non solum Calchantem et Amphiaraum et Polypheiden et Tiresiam vaticinandi artem docet perque aves ipsius opera immissas futura significat[8]), sed ipse quoque ventura novit; nam Sophocles et Pindarus poëtae sic canunt, alter[9]):

Ζεὺς ὅτ' Ἀπόλλων ξυνετοὶ καὶ τὰ βροτῶν εἰδότες,

alter[10]):

Φοῖβε . . . . . . κύριον ὃς πάντων τέλος
οἶσθα καὶ πάσας κελεύθους·
ὅσσα τε χθὼν ἠρινὰ φύλλ' ἀναπέμπει, χὠπόσαι
ἐν θαλάσσᾳ καὶ ποταμοῖς ψάμαθοι
κύμασιν ῥιπαῖς τ' ἀνέμων κλονέονται, χὤ,τι μέλλει, χὠπόθεν
ἔσσεται, εὖ καθορᾷς.

Quae quum ita sint, nihil mirum est, si legimus eosdem deos oraculis praefuisse et Mercurium prope Pharidem oraculum obtinuisse, Herculem prope Buram Achaicam et Hyettum Boeoticam, Pana ad Maenalum montem, Dionysum Aphylide, Jovem Olympiae, Apollinem Delphis, Deli, Clari, Didymis, Ismeni multisque aliis locis.

Quodsi quid causae fuerit, cur Apollo cum Musis sit conjunctus, et qualis fuerit consuetudo inter Apollinem et Musas et societas, recte interpretatus sum, nullus dubitationi locus relinquitur,

---

[1]) Bacch. 298. [2]) theog. 38. [3]) Paus. VIII, 42, 2. [4]) Apollod. I, 4, 1.
[5]) Hom. Il. γ, 377; ξ. 345; Od. ξ, 302. [6]) Hom. Il. υ, 35. [7]) ἡμ. κ. ἔργ. 267.
[8]) Hom. Il. α, 72, 385; Od. ο, 245, 252; Soph. Oed. Tyr. 405.
[9]) Oed. Tyr. 499. [10]) Pyth. IX, 45.

utrum Apollini vaticinandi facultas ante an post oraculi administrationem obtigerit. Quare G. Hermanno consentire non possum sic judicanti[1]): non est Apollo deus natura sua fatidicus, sed tributum est ei hoc officium propterea, quod vi introductis eius sacris antiquum quod Delphis erat oraculum in possessionem venit dei novi. An aliquis est, qui omnibus diis fatidicis tum demum, quum oracula possidebant, vaticinandi artem impositam esse credat?

Varias Apollinis facultates et munera, quamvis nihil fere commune iis esse videretur, sic exposuisse me puto, ut necessitate quadam inter se conjuncta ac propriae eius naturae sint aptata. Quid igitur? Si ita disputandum est, ut, quaenam munerum ad Apollinem pertinentium inter se conjunctio sit aptissima maximeque Graecorum ingenio conveniat, investigemus et animadvertamus diligentius, certe Heffterus non satis vidisse mihi videtur, qui, ut Apollinis vaticinandi artem ad deperdendi eius vim, quam primariam fuisse arbitratur, conferat, usus est hac argumentatione[2]): sendet er Verderben, dann muß er auch beurtheilen können und wissen, dachte man, wie das abzuwenden sei. Die Weissagungen aber wurden in Versen ertheilt......... Daher ist es auch gekommen, daß Apollo auch zum Gott der Dichtkunst und Instrumentalmusik geworden ist. Neque illud probandum videtur, quod G. Hermannus, sibi ipse repugnans, alio loco[3]) sic disputat: Apollo et Diana mortem significant: unde arcus et sagittae et dea venatrix . . . . . Morientes autem quoniam futura praesagire creduntur, Necinus deus est fatidicus: inde ei poësis et ars musica comitesque Musae ipsae datae.

Jam de Apolline Pythio dicendum est. Oraculo Delphico occupato Apollo paulatim ad eam dignitatem et amplitudinem pervenit, ut Jovis, qui temporum progressu summus deorum hominumque pater atque omnis justitiae omniumque legum divinorum auctor evaserat, interpres haberetur. Ceteri dii, natura atque indole Apollinis similes, etsi oracula possederunt, tamen munera susceperunt a vaticinatione prorsus aliena, nonnullorum cultus etiam in peius mutatus et auctoritas imminuta est. Pan magis magisque plurimis Graecis in contemptionem venit, Dionysi cultus ita depravatus est, ut nihil aliud esset nisi orgia obscoena, Hercules in paucis tantummodo insulis divinam dignitatem retinuit. Contra ea quantae laudes, quantus splendor, quanta potentiae et majestatis abundantia Apollinis! ut universae Graeciae et ultra Graeiae fines summam justitiam summumque jus pronuntiaret, electus est. Quid tandem id effecisse dici potest? Ex omnibus diis, ut Homerus testatur, Jovi maximum officium maximamque verecundiam tribuit[4]), in omnibus actionibus probitatis, temperantiae, gravitatis plenus est, injusta et temeraria consilia improbat, pacem animique moderationem suadet et deorum rixantium iras lenit[5]); denique ipse, etsi Jove natus est, ut necem Pythoni illatam expiaret, sua sponte servitutis turpitudinem subiit. Quis igitur dignior fuit, qui humanitatis aequitatisque leges doceret homines, pios tueretur, impios castigaret, sceleratis autem, quum poenitentia affecti erant, poenae remissionem praeberet? Exempla huius potestatis plura commemorantur maxime insignia. Eurytum Oechaliensem, qui arcu suo fretus omnes deos

---

[1]) l. l. p. 302. [2]) l. l. p. 362.
[3]) de mythol. Graec. antiq., opusc. II, p. 189.
[4]) Cfr. Il. α, 86; ο, 254; π. 667; δ, 288; η, 132.
[5]) Cfr. Il. φ, 468; η, 24.

